This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

760
K27
9

UC-NRLF
$B 13 846

YC 00360


SIGILLVM · VNIVERSITATIS · CALIFORNIENSIS
LVX
FIAT
MDCCCLXVIII
EX LIBRIS

760
K27
9



QVAESTIONES GRAMMATICAE

QVIBVS

AD AVDIENDAM ORATIONEM

QVAM

PRO LOCO IN SENATV ACADEMICO

REGIAE VNIVERSITATIS FRIDERICO-ALEXANDRINAE

RITE OBTINENDO

DIE X MENSIS MARTII HORA XI

PVBLICE HABEBIT

OMNI QVA PAR EST OBSERVANTIA

INVITAT

HENRICVS KEIL.

UNIV. OF CALIFORNIA

LIPSIAE
TYPIS B. G. TEVBNERI.
MDCCCLX.

UNIVERSIDAD
AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

UNIV. OF
CALIFORNIA

In nova editione grammaticorum Latinorum quamquam id maxime nobis propositum est, ut verba scriptorum, quae in exemplaribus olim inpressis valde corrupta feruntur, ad fidem optimorum codicum revocemus et ea quae errore librariorum depravata sunt corrigamus, tamen cum hoc ipso negotio coniunctum est illud, ut de antiquioribus scriptoribus, a quibus illi suam doctrinam repetiverunt, quaeratur. quibus quaestionibus haec studia, quae in extrema fere aetate Latinarum litterarum versantur, continuo quodam et necessario vinculo cum doctiore antiquitate conexa sunt. constat enim ea quae olim docti grammatici de ratione et consuetudine Latini sermonis disputaverant ab his qui postea in hoc genere litterarum elaboraverunt ita suscepta esse, ut, dum alius alium sequitur et quae a prioribus scripta acceperat in suum usum convertit, omnia, quae quidem aliquam doctrinae speciem prae se ferunt, ex illis felicioris temporis copiis quamvis longo intervallo et quasi gradibus quibusdam deducta fluxerint. quo fit ut non solum bonorum et antiquorum grammaticorum memoria ex recentium fere et indoctorum imitatorum libris excitanda sit, sed etiam quid ipsi scripserint vel quae sit rerum traditarum fides saepe iudicari nequeat, nisi accurate quaesiveris quibus auctoribus quaeque debeantur. eius rei satis luculenta exempla nuper Prisciani libri minores, quos in tertio volumine grammaticorum Latinorum edidi, mihi suppeditabant. nam de auctoribus, quibus ille in iis libris scribendis usus est, quaerens quaedam longe aliter atque vulgo fieri solet mihi constituenda esse vidi. quae quoniam pro ratione eius editionis diligentius explanare non licuit, nunc accuratius persequi placet, praesertim cum sint de quibus iam rectius vel certius, quam olim factum est, statuere posse mihi videar. accedebat aliud quiddam, quod me movit ut haec nunc, nondum

297977

in publicum proposita nova editione, quae aliquot abhinc mensibus finita est, retractarem. unius enim ex libris Prisciani, qui est de figuris numerorum, codex manu scriptus in bibliotheca nostrae universitatis extat satis bonus et antiquus. quem quamquam ne tum quidem ignorabam, cum in eo libro recensendo et emendando occupatus eram, tamen, quoniam in iis codicibus quos conlatos habebam satis praesidii positum esse arbitrabar, ad recensionem non adhibui. nam litteris Doederleinii nostri, viri illustrissimi, certior factus bonum quidem codicem esse, sed eundem genere non diversum a reliquis cognovi. neque est cur huius me iudicii paeniteat, postquam ipsius libri copia facta est. sed ne temere bonum codicem neglexisse neve quid omisisse credar, quod addi ad meam operam possit, hac opportunitate oblata accuratius de hoc libro dicere et ea quae nunc etiam digna esse memoria videntur conponere visum est.

Codex autem quem dico ex bibliotheca 'sanctae mariae in haylsbrun' in hanc urbem translatus olim inter codices Heilsbrunnenses fuit numero septuagesimus sextus, nunc est Erlangensis 848, non 301, sicut olim Halmium de codicibus Ciceronis (zur Handschriftenkunde der Ciceronischen Schriften Monachii a. 1850) p. 3 secutus scripsi. post Ciceronis de oratore libros partim decimo vel undecimo saeculo partim quinto decimo scriptos carmen de ponderibus et mensuris Remi Favini nomine inscriptum, f. 146 *Pondera* — 147 *sine aquis*, et Prisciani liber de figuris numerorum legitur, f. 147 *Priscianus grammaticus Symmacho. Omni* — 150 *similia. de figuris numerorum liber singularis prisñi grammãce caesariensis explic̃*. uterque liber ab eodem librario scriptus est, qui antiquiorem partem librorum Ciceronis scripsit et nomen suum professus est his, quae libro Prisciani subscripsit, *venerando abbate gerberto philosophante suus placens ayrardus scripsit.* scriptura autem codicis proxime accedit ad optimum codicem Leidensem Voss. 12. 8, quocum ita etiam in vitiis quibusdam, quibus reliqui libri carent, consentit, ut ex eodem archetypo ductus esse videatur. prior scriptura saepe vitiosa postea alia manu, quae ipsa quoque satis antiqua esse videtur, partim coniectura librarii partim adhibito veteri exemplari correcta est. Graecorum scriptorum verba a Prisciano adscripta integra exhibet co-

dex Erlangensis; qua in re ex magno numero codicum, in quibus hic libellus scriptus est, duos, quantum scio, habet consentientes, Leidensem quem supra dixi et Monacensem 280. nam in reliquis haec fere omissa sunt. quamquam in his quoque locis sic cum illis consentit, ut vix quicquam novi, quod illorum fide probatum non sit, accedat. sed quoniam ea quae de auctoribus a Prisciano adhibitis me disputaturum esse dixi ad ea maxime pertinent, quae ex Didymi libro *περὶ τῆς παρὰ Ῥωμαίοις ἀναλογίας* descripta sunt p. 1350 sq., haec primum ita, ut ex tribus codicibus, quorum discrepantia subiecta est, emendavi, adponam.

*Didymus etiam ea confirmet: Καὶ Δίδυμος ἐν τῷ περὶ τῆς παρὰ Ῥωμαίοις ἀναλογίας „Ἴωνες καὶ Ἀττικοὶ τὰ δύο ἥμισυ ἡμίσυ τρίτον φασίν, καὶ τὰ ἓξ ἥμισυ τάλαντα ἕβδομον ἡμιτάλαντον, καὶ τοὺς τέσσαρας ἥμισυ πήχεις πέμπτην σπιθαμήν, καθάπερ φησὶν Ἡρόδοτος * προθεὶς τὸ ‘ἐν δὲ Βατουσιάδης’ ἐν τῷ περὶ μουσικῆς ἐπιφέρει ‘τρίτον ἡμιπόδιον’ ἀντὶ τοῦ δύο ἥμισυ πόδες. καὶ καθόλου, ὅταν βούλωνται ἀριθμόν τινα δηλοῦν καὶ μόριόν τι προσκείμενον, τὸ ὁμώνυμον τοῦ ἀριθμοῦ ἀεὶ τοῦ πλεονάζοντος λαβόντες τὸ ὅλον φασίν, οἷον τὰ ἓξ ἥμισυ ἕβδομον ἥμισύ φασιν, τοῦ ἑπτά [ἑβδόμου], ὃς μονάδι πλεονάζει τοῦ ἓξ, τὸ ὁμώνυμον λαβόντες. καὶ Ῥωμαῖοι δὲ εὑρεθήσονται τούτῳ χρώμενοι τῷ σχήματι. τὰ γὰρ δύο ἥμισυ ἀσσάρια, ἅπερ ἦν τέσσαρα τοῦ δηναρίου (δέκα γὰρ ἠδύνατο ἀσσάρια τὸ δηνάριον, ὡς αὐτοὶ λέγουσιν δηναρίους παρὰ τὸ δῆνα ἐσχηματισμένοι), σηστέρτιούμ φασιν, τοῦ μὲν ση τὸ ἥμισυ δηλοῦντος, ὡς ἐν τῷ σημόδιουμ σήσκουας σήσκουπλα, τοῦ δὲ τέρτιουμ τὸ τρίτον, καί ἐστιν ἥμισυ τρίτον.” τὰ δὲ χίλια σηστέρτια ποιεῖ διακόσια πεντήκοντα δηνάρια ἀργυρᾶ, δέκα δὲ χρυσᾶ, ἅπερ καὶ μίλλε νούμμως φασίν. τὸ δὲ σήσκουας σύνθετόν ἐστιν ἀπὸ τοῦ ση καὶ τοῦ κουμ καὶ τοῦ ἂς ἄσσις, καί ἐστιν ἥμισυ σὺν ἀσσαρίῳ, τουτέστιν ἓν ἥμισυ ἀσσάριον. ὥσπερ δὲ ἡμέδιμνον λέγουσιν Ἀττικοὶ ἀντὶ τοῦ ἡμιμέδιμνον, οὕτως καὶ οὗτοι σημόδιουμ, πλεονάζοντος τοῦ σ.*

1 didimus etiam ea confirmet *(corr. man. sec.* hoc confirmat) ΚΑΙ ΔΙΔΥΝΟC ΕΝ ΤΩ ΠΕΡΙ ΤΕC ΠΑΡΑ ΡΩΑΙΑΙΟΙC ΑΝΑΛΟΠΑCΙ ΙΩΝΕC

E (hoc est codex Erlangensis), didumus etiam ea confirmet ΤΚΑΙΟΤ-ΜΟC ΕΝ ΤΩ ΠΕΡΙCΤΗC ΤΠΑΡΑ ΡΩΜΑΙΟΙC ΑΝΑΛΟΠΑCΤ ΙΩΝΕC *V (hoc est codex Leidensis)*, didumus etiam ea confirmet ΚΑΙ ΔΙΝΟC ΕΝ ΤΩ ΠΕΡΙ ΤΗC ΠΑΡ ΡΩΜΑΙΟΙC ΑΝΑΛΟΠΑCΤ ΙΩΝΕC *M (hoc est codex Monacensis)* 5 ΕΝΔΕbaΤΟΤCΙΑΔuCΕΝΤΟΙ *E* 6 ΕΠΙΦΕΡΕΙ *E*, ΕΠΙΦΕΙΡΕΙ *V*, ΕΠΙΦΕΡΕΝ *M* 7 ΒΟΤΛΟΝΤΑΙ *EVM* 8 ΠΡΟC-ΚΕΙΜΕΝΟΝ *EM*, ΠΡΟΚΕΙΜΕΝΟΝ *V* 11 ΜΟΝΑΔΕΙ *VM*, ΝΟΝΑ-ΔΕΙ *E* 12 ΧΡΩΝΕΝΟΙΤΩ *M*, ΧΡΩΜΕΙΤΟ *V*, ΧΡΩΝΕΝΟΠΩ *E* 13 ΑΠΕΠΝΤΕCCΑΡΑ *E* ΑΠΕΝΤΕCCΑΡΑ *M*: ἅπερ — 14 *ἀσσάρια om. V* 15 ΕCΧΗΜΑΤΙCΜΕΝΟΙ *E*, ΕCΧΗΜΑΤΙCΜΕΝΤC *V*, ΕCΧΗΜΑ-ΤΙCΝΕΝΟΙC *M* 17 *τέρτιουμ* — 18 *τρίτον*] ΤΕΡΙΤΟΝ *E* 18 ΧΕΙΛΙΑ *EVM* 20 ΤΟΔΗ *EV*, ΔΕΔΗ *M* 24 ΠΛΕΟΝΑΖΟΝΤΕCΤΟC *EVM*

Adscripsit haec Priscianus, ut ea quae antea p. 1347 de sestertii nomine dixerat Graeci grammatici auctoritate confirmaret. sed quae Graecus grammaticus ex antiquioribus scriptoribus ad hunc dicendi usum probandum attulit pravis opinionibus temptata non solum de hoc ipso loco iudicium perturbaverunt, verum etiam in aliis quibusdam rebus vero inveniendo obstiterunt. nihil dicam de Eliae Vineti commento, qui primus haec verba, quae a prioribus editoribus omissa erant, in sua editione Parisiis a. 1565 facta ex codice Leidensi exhibuit. is igitur, cum pro *ἐν δὲ Βατουσιάδης*, qui est versus Archilochi, *ἓν δεκάτους Ἰάδης* scripsisset, nescio quem Iadem, qui de arte musica scripsisset, citari sibi persuasit; unde novum nomen inter scriptores rei musicae recensuit Fabricius bibl. Graec. III 10, 9 (t. III p. 650 ed. Harl.). nam illud quidem et nunc codicum fide corrigitur et olim felici coniectura correctum erat a Porsono apud Gaisfordium in Heph. p. 39. sed gravius erratum est in iis quae de Herodoto scripta sunt. de quibus postquam Wesselingius in Herod. I 50 adnotavit verba *καὶ τοὺς τέσσαρας ἥμισυ πήχεις πέμπτην σπιθαμήν* non ad eum locum quem tum tractabat referenda esse, primum Gaisfordius l. c. hoc ita pervertit, ut ea verba omnino non pertinere ad Herodotum diceret. deinde Lindemannus in Prisc. op. min. p. 379 Herodotum rerum scriptorem prorsus alienum esse ab hoc loco ratus grammaticum quendam eodem nomine appellatum, cuius liber *περὶ μουσικῆς* citaretur, intellegendum esse existimavit. denique Godofredus Hermannus, quem auctorem novissimus editor Krehlius secutus est, quoniam parum probabiliter illud de He-

rodoto grammatico excogitatum esse intellegebat, nomen Heliodori metrici, quem de musica arte scripsisse facile credi poterat, substituit, verba autem sic scribenda esse coniecit, *καθάπερ φησὶν Ἡλιόδωρος, ὃς προσθεὶς τὸ Ἐν δὲ Βατουσιάδης ἐν τῷ περὶ μουσικῆς ἐπιφέρει τρίτον ἡμιπόδιον ἀντὶ τοῦ δύο ἥμισυ πόδες.* quam coniecturam tamquam certissimam ita probavit Ritschelius de biblioth. Alex. p. 140, ut hoc ipsum fundamentum eius quaestionis quam de aetate Heliodori instituit esse vellet. nam cum conplures grammaticos eo nomine fuisse subtili disputatione docuisset, hunc qui metrica arte exposita laudem adeptus est ante aetatem imperatoris Augusti vixisse certum esse dixit, propterea quod Didymus, quem nobilem illum grammaticum Augusto aequalem esse statuebat, eius mentionem fecisset. contra hunc disputans Bernhardyus in annal. crit. Berol. (Jahrb. f. wissensch. Kritik) a. 1838 p. 832, quamquam certum de aetate Heliodori iudicium non protulit, tamen non dubitavit quin recte illud nomen ab Hermanno restitutum esset. idem placuit Bergkio mus. Rhenan. noviss. I (a. 1842) p. 381, qui, cum id ageret ut Heliodorum rhetorem, eum quem comitem itineris sibi fuisse dicit Horatius sat. I 5, 2, non diversum esse doceret a metricae artis scriptore, hoc non putabat teneri posse, nisi ita ut Didymus, cuius verba Priscianus adscripsit, alius atque nobilis ille grammaticus esset. quid quod in eandem coniecturam, quam Hermannus proposuit, olim inciderat Porsonus, ut indicat Kiddius, Porson tracts and miscellaneous criticisms. p. 311? ut duorum summorum criticorum consensu nomen Heliodori tutum esse videretur. attamen nihil certius est, quam Herodoti nomen, quod in libris manu scriptis est, sollicitari non debuisse. nam ut hoc quod secundo loco a grammatico positum est, *ἓξ ἥμισυ τάλαντα ἑβδομον ἡμιτάλαντον*, ex Herodoti narratione de leone Delphico I 50, quam paullo ante adscripsit Priscianus, petitum esse constat, ita dubitari nequit quin illud quod sequitur, *καὶ τοὺς τέσσαρας ἥμισυ πήχεις πέμπτην σπιθαμήν*, ad haec quae de imagine regis Aegyptii idem scriptor II 106 rettulit, *μέγαθος πέμπτης σπιθαμῆς*, referendum sit; animadvertitque illud iamdudum Elmsleius classical journal vol. V (a. 1812) p. 334. quoniam igitur duae elocutiones ex Herodoti libris positae sunt,

manifestum est huc pertinere id quod subiectum est, *καθάπερ φησὶν Ἡρόδοτος*. his duobus Herodoti testimoniis additur tertium a scriptore quodam *περὶ μουσικῆς* petitum, qui Archilochi versum ex duobus dactylis et semipede conpositum dixerat *τρίτον ἡμιπόδιον*. de quo scriptore quia incertum est iudicium remoto nomine Heliodori, altius iam repetenda est disputatio. et primum quidem de ipsis verbis et de iis grammaticis, quorum auctoritate hoc loco Priscianus utitur, deinde de Heliodoro dicam, cuius nomen ab hoc quidem loco alienum est, sed saepius eo usus est Priscianus in libro de metris Terentii.

Ante omnia autem animadvertendum est Priscianum haec non ex ipso Didymi libro, sed ex recentiore quodam commentario Graece scripto, in quo illius verba citata invenit, petivisse. quod quidem satis adparet ex his verbis quae in initio posita sunt, *καὶ Δίδυμος ἐν τῷ περὶ τῆς παρὰ Ῥωμαίοις ἀναλογίας**); quae ille una cum ipsis Didymi verbis a Graeco grammatico, quem secutus est, recepit. nam ridiculum erat, si ipse addidisset, postquam Latine idem nomen scripsit. atque nisi fallor, hoc quoque loco Dardanum illum secutus est, cuius sententiam antea de obolo et talento attulerat p. 1347 et 1349. is vero non videtur diversus esse ab eo qui a Ioanne Lydo de mens. p. 56, 22 ed. Bonn. *Δαρδάνιος* dicitur**), *ὁ δὲ Δαρ-*

---

*) In codice Leidensi his vocabulis ter interposita est *T* littera. quod nisi casu et errore librarii factum esse putabimus, quoniam tali fere nota usos esse librarios constat, siquid omissum vel alieno loco positum esse indicare volebant, suspitionem movere potest ut verba perturbata esse credamus. nam quod M. Schmidtius Did. fragm. p. 346 censebat, distinguendae orationi eam litteram inservire, non video veterum librorum more probari. quam ob rem haec sic olim a Prisciano scripta esse conieci, *Didymus etiam ea confirmet ἐν τῷ περὶ τῆς παρὰ Ῥωμαίοις ἀναλογίας, Καὶ Δίδυμος Ἴωνες*, ut ille titulum libri a Graeco grammatico hoc loco omissum ipse addidisset. tametsi ne illud quidem satis veri simile est, neque omnino illi litterae, praesertim cum reliqui libri dissentiant, quicquam tribuendum esse videtur.

**) In Prisciani libris est *Dardanus* p. 1374 et *Dardanum* p. 1349, nisi quod priore loco Erlangensis codicis corrector super scripta *i* littera, ut videtur, *Dardanius* scribi voluit.

δάνιος ἐν τῷ περὶ σταθμῶν χιλίων ὀβόλων λέγει πάλαι γενέσθαι τὸ μιλιαρίσιον καὶ ἀπὸ τῆς χιλιάδος τῶν ὀβόλων οὕτως ὀνομασθῆναι. ex quibus verbis cum antea collegissem quarto saeculo post Christum natum non superiorem esse illum scriptorem, si quidem ante eam aetatem miliarensis memoria non extat, nunc video certius etiam propter eandem causam a Mommsenio nunt. societ. litter. Saxon. a. 1851 p. 279 conl. p. 274 annum definiri tricesimum sexagesimum, post quem illa scripta sint. Dardanum autem, quamvis non multo antiquior fuerit Prisciano, tamen bonis et antiquis auctoribus usum esse in primis docet praeclara illa talenti Attici magni definitio p. 1348, de qua dixit Boeckhius quaest. metrol. p. 115. ex huius igitur libro περὶ σταθμῶν Priscianus cum alia quae de ponderibus et nummis Graecorum eorumque cum Romanis similitudine disputat tum haec Didymi verba recepisse videtur. immo ne omnia quidem quae Graece scripsit Didymi esse credo. nam quod in fine scriptum est, σημόδιουμ dictum esse pro ἡμόδιουμ vel ἡμιμόδιουμ, id et per se ineptum est et pugnat cum superiore definitione, τοῦ μὲν ση τὸ ἥμισυ δηλοῦντος, ὡς ἐν τῷ σημόδιουμ. accedit quod ea quae post grammaticam disputationem de nummis Romanorum exposita sunt non tam Didymo, cuius opera omnis in grammatico genere versabatur, quam Dardano conveniunt. itaque extrema verba τὰ δὲ χίλια — πλεονάζοντος τοῦ σ ab ipso Dardano adiecta, a Prisciano vero, tamquam Didymi essent, cum superioribus coniuncta esse videntur. simili prorsus ratione usus Priscianus supra p. 1347 una cum Herodoti verbis a Graeco grammatico citatis ea quoque quae ille explicandi causa addiderat repetivit. atque haud scio an illa, quoque Dardano tribuenda et ab eo ante hunc locum, in quo nunc versamur, scripta sint. nam Didymi esse, ut vulgo creditur, minus probabile est, quoniam eadem Herodoti verba hoc ipso loco brevius ab eo indicata sunt. hinc video corrigenda esse quae olim de illis verbis adnotavi.

Venio iam ad Didymum. de quo non est cur in dubitationem vocetur satis certum Suidae testimonium, Δίδυμος ὁ Κλαύδιος χρηματίσας, γραμματικός· περὶ τῶν ἡμαρτημένων παρὰ τὴν ἀναλογίαν Θουκυδίδῃ, περὶ τῆς παρὰ Ῥωμαίοις ἀναλογίας,

ἐπιτομὴν τῶν Ἡρακλέωνος καὶ ἄλλα τινά. quamvis enim perturbata esse constet quae Suidas de sex grammaticis, quibus nomen Didymi fuerit, scribit, tamen eorum quae de Claudio Didymo scripta sunt nihil est quin iure huic tributum esse iudicari debeat. ab hoc utrum diversus sit is quem ante eum posuit Suidas, Δίδυμος νέος Ἀλεξανδρεύς, γραμματικός, ὃς ἐσοφίστευσεν ἐν Ῥώμῃ, an pravo iudicio ex uno grammatico duos fecerit Suidas, non certo constat. certius esse puto quod M. Schmidtius Did. fragm. p. 3 suspicatur, pro eodem habendum esse eum qui sequitur, cuius memoriam sic circumscribit Suidas, Δίδυμος ὁ τοῦ Ἡρακλείδου, γραμματικός, ὃς διέτριψε παρὰ Νέρωνι καὶ ἐχρηματίσατο, μουσικός τε ἦν λίαν καὶ πρὸς μέλη ἐπιτήδειος. primum enim ἐχρηματίσατο illud, quod satis mire dictum est de hoc grammatico, non dubito quin inprudenter Suidas finxerit ex eo quod recte scripserat de superiore, ὁ Κλαύδιος χρηματίσας. deinde, quia nomen Claudii, quod priori grammatico Suidas tribuit, civem Romanum eum fuisse ostendit, alter vero cum Nerone vixisse dicitur, non inprobabile est eum a Nerone civitatem una cum nomine accepisse. ergo si non certum, at probabile tamen de aetate Claudii Didymi habemus testimonium. eum igitur cum librum περὶ τῆς παρὰ Ῥωμαίοις ἀναλογίας scripsisse dicimus, sicut indicat Suidas, et per se aptum esse id argumentum ad talem hominis condicionem adparet neque illa obstare putamus, quae de digammo dixit Priscianus p. 545, *V vero loco consonantis posita eandem prorsus in omnibus vim habuit apud Latinos, quam apud Aeolis digamma. unde a plerisque ei nomen hoc datur, quod apud Aeolis habuit olim Ϝ digamma, id est vau, ab ipsius voce profectum teste Varrone et Didymo, qui id ei nomen esse ostendit. pro quo Claudius*) Caesar hanc Ⅎ figuram scribi voluit.* in quibus haerebat M. Schmidtius l. c. p. 437. nam si Claudius Didymus auctor fuisset librorum de Latinitate, ut ait, quoniam is imperatoris inventum praeterire vix potuisset, Priscianum haec ita narraturum fuisse, ut eius auctoritate eam

*) Claudii nomen, quod in libris manu scriptis omissum est, addidit A. Schottus obs. hum. p. 145 et post eum Büchelerus de Ti. Claudio p. 3.

rem referri adpareret. sed ut per se levis est omnis haec dubitatio, ita qui Latinorum grammaticorum rationem bene perspexerit vix dubitabit quin haec omnia a Didymo Priscianus receperit. nam ex eo quod supra dictum est, alio auctore Didymi testimonium a Prisciano citari, minime sequi volumus illud, hunc librum ab eo tractatum non esse. immo quae praeterea eius nomine adposito protulit p. 838 et 910 haud dubie ex ipso libro, qui quam accommodatus ad eius studia fuerit facile existimari potest, petivit.

Sed ut redeat disputatio ad eum locum a quo profecta est, de libro illo *περὶ μουσικῆς*, cuius auctorem desideramus, duas olim dixi proponi posse rationes. aut enim ipsius Didymi librum dici, ex quo aliud exemplum eius locutionis de qua agitur ab eo qui reliqua exscripsit additum esset, aut antiquiorem aliquem scriptorem, cuius nomen periisset, a Didymo citari. quorum alterum, ut Didymi liber dicatur, quamquam ea re quodam modo commendari videtur, quod illum musicae arti operam dedisse Suidas tradit, tamen non facile adducor ut credam vel ipsum grammaticum ea locutione quam antiquorum scriptorum auctoritate firmaverat in alio libro usum esse vel recentiorem illud sic adnotasse, ut eius orationi interponeretur. itaque unum iam relinquitur, ut nomen scriptoris, cuius auctoritate Didymus usus erat, periisse dicamus. iam vero cum id quod ex libro de arte musica profertur, *τρίτον ἡμιπόδιον*, re non diversum sit ab illo quod primo loco positum est, *ἥμισυ τρίτον*, quod non, sicut reliqua, auctoritate antiqui scriptoris firmatum est, facile suspicari possis haec olim inter se coniunxisse grammaticum et hoc ordine verba conlocasse, *Ἴωνες καὶ Ἀττικοὶ τὰ δύο ἥμισυ ἥμισυ τρίτον φασίν * προθεὶς τὸ ἐν δὲ Βατουσιάδης ἐν τῷ περὶ μουσικῆς ἐπιφέρει τρίτον ἡμιπόδιον· καὶ τὰ ἓξ ἥμισυ τάλαντα ἕβδομον ἡμιτάλαντον καὶ τοὺς τέσσαρας ἥμισυ πήχεις πέμπτην σπιθαμήν, καθάπερ φησὶν Ἡρόδοτος. καὶ καθόλου* sqq. verbis autem sic ut nunc habentur transpositis simul nomen scriptoris periit. quamquam hoc quidem incertum est, praesertim cum nesciatur quid librarii peccaverint, quid a Prisciano vel a Graeco grammatico, quem ille secutus est, perturbatum sit. sed illud monendum est, vel ex eodem commentario de musica, cuius auctorem ignoramus,

vel potius ex hac ipsa Didymi disputatione sumptam esse glossam Hesychii *ἥμισυ τρίτον δύο ἥμισυ Ἀρχίλοχος*. quod perperam inter Archilochi fragmenta relatum est, quasi poeta *ἥμισυ τρίτον* dixisset. neque corruptum esse nomen Archilochi persuadet novissimus editor Hesychii. nimirum cum grammaticus, ut explicaret quid esset *ἥμισυ τρίτον* vel *τρίτον ἡμιπόδιον*, versum Archilochi adscripsisset, quod mox glossarum scriptores in suos libros receperunt, Hesychius inprudenter, ut facere consuevit, haec ita coniunxit et imminuit, ut nihil nisi glossam in initio positam et nomen poetae relinqueret.

Haec hactenus de Didymo grammatico. quibus illud certe probatum est, nullam apud eum extare Heliodori memoriam. sequitur ut videamus quid alii auctores de aetate et studiis grammatici tradiderint. arti metricae igitur operam dedisse Heliodorum et *ἐγχειρίδιον* scripsisse iis qui artem discere vellent destinatum auctor est Longinus prol. in Hephaest. p. 142 ed. Gaisf., *ὅτι δὲ ταῦτα οὕτως ἔχει, Ἡλιόδωρος τοῦ ἐγχειριδίου ἀρχόμενος οὕτω λέγει, τοῖς βουλομένοις ἐν χερσὶν ἔχειν τὰ κεφαλαιωδέστερα τῆς μετρικῆς γέγραπται τὸ βιβλίον τοῦτο.* initium libri ductum esse a definitione metri idem tradit p. 138, *τοῦ δὲ περὶ μέτρων λόγου πολλοὶ πολλαχῶς ἤρξαντο, οἱ μὲν ἀπὸ στοιχείων, ὡς Φιλόξενος, οἱ δὲ ἀπὸ τοῦ μέτρων ὅρου, ὡς Ἡλιόδωρος.* hanc rationem, quod tironum institutionem a definitione metri inchoavisset, reprehenderat Hephaestio teste Longino p. 141, *περὶ δὲ ὅρων μέτρου νῦν εἰπεῖν οὐκ ἀναγκαῖον. αὐτὸς γὰρ ὁ Ἡφαιστίων αἰτιᾶται τὸν Ἡλιόδωρον, ὅτι τοῖς ἐπαρχομένοις γράφει· τοῖς γὰρ ἀπείροις καὶ τοῖς μήπω τῆς μητροποιίας γεγευμένοις ἀδύνατον νοῆσαι τὸν ὅρον.* in ipso quidem Hephaestionis libro quem nunc habemus nihil ea de re legitur; sed in prooemio aliquo, quod postea intercidit, Hephaestionem de proposito suo disputantem haec dixisse probabiliter coniecit Bergkius l. c. p. 377. apud Hephaestionem autem nunc semel relicta est Heliodori memoria p. 16, *φησὶ δὲ ὁ Ἡλιόδωρος τὸ μ ἐπιφερόμενον ἀφώνῳ ἧττον τῶν ἄλλων ὑγρῶν κοινὰς ποιεῖν ἐν τοῖς ἔπεσι συλλαβάς.* quae ipsa quoque ex breviario Heliodori petita esse et ad eum locum qui est de communibus syllabis, quas Latini grammatici dicunt, pertinere puto.

ceterum recte monuit Bergkius ex his quae proxime secuntur apud Hephaestionem adparere eum in aliis etiam libris Heliodoro adversatum esse. sed ut hoc loco haud dubie plura quam quae contra Heliodorum disputans indicat ab eo recepit, ita in reliquis quoque libri partibus saepe eius copiis non nominato auctore usus esse videtur. eundem auctorem sequitur scholiasta Hephaestionis de versu Homerico Il. *M* 208 *Τρῶες δ' ἐρρίγησαν, ὅπως ἴδον αἰόλον ὄφιν* disputans p. 183, *ἢ ὅτι ἐνταῦθα ὁ ποιητὴς ἤσθετο τῆς τοῦ δασέος φ ἐκφωνήσεως πλέον τι ἐχούσης διὰ τὴν σφοδρότητα τοῦ πνεύματος, ὡς καὶ Ἡλιόδωρος δοκεῖ τῇ δασείᾳ πλέον τι νέμειν.* magnam autem eius auctoritatem fuisse apud Latinos grammaticos docet Marius Victorinus p. 2541, *at Iuba noster, qui inter metricos auctoritatem primae eruditionis obtinuit, insistens Heliodori vestigiis, qui inter Graecos huiusce artis antistes aut primus aut solus est, negat hoc vitium, ut quidam adserunt, rythmicum fore.* in primis vero Priscianus de metris Terentii p. 1327 sq. ea quae de usu et licentia Graecorum poetarum disputavit ex hoc libro recepit. nam quamvis iis verbis utatur, ut quaedam suo labore invenisse videri possit, *necessarium autem esse duximus multo labore exquisita inventaque exempla diversorum nominatissimorumque Graeciae auctorum, quorum quaedam etiam Heliodorus protulit metricus et Hephaestion, subicere,* tamen ex omni disputandi ratione qua postea utitur, repetito saepe nomine Heliodori, adparet non ipsum carmina poetarum legisse sed, praeterquam quod semel p. 1329 Hephaestionem appellavit, reliqua omnia Heliodoro debere. ad eundem auctorem referenda esse ea quae in scholiis Aristophanis de versibus quibusdam poetae recte constituendis adnotata sunt docuit G. Dindorfius praef. in schol. Arist. p. XVI ed. Ox. (p. X ed. Dübn.). in quibus bis nominatur Heliodorus Vesp. 1282 et Pac. 1353; uberiora tamen grammatici studia testantur ea quae in codice Veneto subscripta sunt Nubibus, *κεκώλισται ἐκ τῶν Ἡλιοδώρου*, et Paci, *κεκώλισται πρὸς τὰ Ἡλιοδώρου.* unde *κωλομετρίαν τῶν μελικῶν Ἀριστοφάνους* eum scripsisse suspicatus est O. Schneiderus de schol. Aristoph. font. p. 119. disciplina Heliodori institutum esse Irenaeum sive Pacatum scribit Suidas v. *Εἰρηναῖος.* minus certum est utrum ad hunc metricae artis scriptorem an

ad alium quendam eiusdem nominis grammaticum referenda sint ea quae de prosodia vocabuli *ἀνδριάς* contra Heliodorum disputat Herodianus *περὶ μον. λε .* p. 34, 15, *οὐκ ἀγνοῶ δὲ ὅτι Ἡλιόδωρος ἐβούλετο αὐτὸ περισπᾶν.* neque nunc incerta testimonia excitare vel omnem de grammaticis eius nominis disputationem repetere placet. ea autem quae certo ad metricum de quo dicimus pertinent conposuimus omnia.

Aetas autem grammatici quam latis finibus circumscripta sit adparet. nam ut primus Hephaestio eius mentionem fecit, ita ipse Seleucum citavit apud Priscianum p. 1328, *Aeschylus in ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας Ἱππομέδοντος σῆμα καὶ μέγας τύπος. in principio enim trochaeum posuit, quem imitans Sophocles teste Seleuco profert quaedam contra legem metrorum, sicut in hoc, Ἀλφεσίβοιαν, ἣν ὁ γεννήσας πατήρ.* neque enim dubitari potest quin haec quoque, sicut reliqua quae eo loco dicta sunt, ex Heliodori libro Priscianus descripserit. Seleucum porro aliquot annis ante imperatorem Augustum fuisse probavit M. Schmidtius Philol. III p. 437. itaque certorum quidem argumentorum fide inter Augusti tempora et alterum post Christum natum saeculum, quo tempore Hephaestionem vixisse constat, Heliodori aetas constituitur. sed quae praeterea de eo memoriae prodita sunt persuadere videntur ut propius ab Hephaestione quam a Seleuco ipsum abfuisse credamus. nam ne dicam indolem et rationem libri, quo is utilitati eorum qui artem metricam discere vellent consulebat, recentiorem potius grammaticum quam antiquum decere, ea quae de Hipponactis aliorumque poetarum versibus eo auctore Priscianus rettulit miram quandam artis inscientiam produnt, quam in Aristarcheo grammatico (sic enim voluerunt) aegre feramus. praeterea Irenaeum, discipulum Heliodori, quamvis de aetate eius nihil memoriae proditum sit, tamen propter studiorum genus in quo versatus est vix Herodiano grammatico superiorem fuisse putabimus. nam ea demum aetate artem et disciplinam eorum qui de legibus puri et Attici sermonis quaerebant, in quorum numero fuit Irenaeus, extitisse constat. his igitur rationibus ductus Heliodorum non ita multo antiquiorem fuisse quam Hephaestionem putaverim. inutile vero est in tanta nominis Heliodori frequentia quaerere, num quis sit ex iis de quorum aetate certius constat, ad quem

ea quae de metricae artis scriptore tradita sunt referri possint. tametsi temporum certe rationes non obstant, quo minus idem esse credatur metricus atque philosophus Heliodorus, quem in familiaritate Hadriani fuisse scribit Spartianus vit. Hadr. c. 18, de dicendi arte autem cum Dionysio sophista certasse narrat Cassius Dio LXIX 3; quae ipsa Bernhardyi sententia esse videtur hist. litt, Graec. I p. 498 ed. sec.

Sciens in hac de aetate Heliodori disputatione omisi ea quae Mario Victorino auctore supra scripta sunt, Iubam, Latinum rei metricae scriptorem, vestigiis institisse Heliodori, hunc vero ipsum metricae artis inter Graecos antistitem vel solum vel primum fuisse. quibus verbis Ritschelius ind. lect. Bonn. hib. a. 1840 p. X usus est ad suam de aetate grammatici sententiam defendendam. nam neque illam Heliodori laudem bene dici existimabat de eo qui Hadriani aequalis esset, neque Iubam tantis laudibus a Victorino elatum obscurum aliquem magistellum intellegi posse, sed potius illum nobilissimum Numidiae regis filium esse, quem a Caesare captum esse constat. at vero ut Heliodorus laudem illam vix alia re meruit, quam quod primus artis praecepta in breviorem formam discentibus utilem redegit, sic Iubam inferioris aetatis esse certis argumentis persuasum habeo. sed illud quidem paullo longiorem sibi postulat disputationem, quae ipsa cum his quae de Graecis grammaticis dixi est coniunctissima. nam haec quoque pertinebit ad Priscianum, qui illo auctore in libro de metris Terentii usus est. sed primum reliqua, quae de Iuba memoriae prodita sunt, paucis conplectar.

Quamquam autem Servius in Verg. Aen. V 522 artigraphum Iubam appellat, tamen non omnem de octo partibus orationis disciplinam, quam artem dicere consueverunt grammatici, libro suo conplexus est, sed artis metricae praecepta singulari studio exposuit. nam non solum Marius Victorinus l. c. inter metricos auctoritatem primae eruditionis eum obtinuisse scribit, sed etiam Plotius p. 2664 metricum ipsum dicit. cum expositione metrorum autem, sicut fieri solebat, coniunxerat litterarum syllabarumque doctrinam, ad quam partem pertinent ea quae de k littera Pompeius p. 31 et de syllabis longis idem p. 40 et de i littera Servius in Verg. Aen. IIII 549 conl. V 522, itemque de i et u

vocalibus loco consonantium positis Plotius l. c. ei tribuunt. ex ipsa autem metrorum explicatione uberiora excerpta de iambico metro exhibuit Rufinus p. 2711 sq., pauca incerto nomine grammaticus anal. gramm. Vind. p. 521, item de iambico et de confusione metrorum Priscianus de metr. Ter. p. 1321 sq., de trochaico et de ionico Mallius Theodorus p. 548 et 554 ed. Gaisf., de antispastico Marius Victorinus p. 2534*). nostra memoria de Iuba metrico scripserunt et fragmenta eius conposuerunt W. Plagge de Iuba II rege Mauretaniae Monasterii Guestphalorum a. 1849 p. 77 sqq., B. ten Brink Iubae Maurusii de re metrica scriptoris reliquiae Vltraiecti a. 1854, H. Wentzel symbolae criticae ad historiam scriptorum rei metricae Latinorum Vratislaviae a. 1858 p. 15 sqq. nos, ne ea quae ab illis disputata sunt repetamus, quoniam iis quae Priscianus et Rufinus servaverunt satis certa indicia inferioris aetatis, ad quam Iubam referendum esse diximus, insunt, his nunc disputationem nostram continebimus. Priscianus igitur p. 1321, ut veteres poetas magna libertate in versibus conponendis usos esse probaret, haec posuit, quae aliquanto emendatiora quam antea ferebantur exhibuimus, *Asmonius etiam idem confirmat his verbis*, '*comici poetae laxius etiamnum versibus suis quam tragici spatium dederunt et illa quoque loca, quae proprie debentur iambo, dactylicis occupant pedibus, dum cotidianum sermonem imitari volunt et a versificationis observatione spectatorem ad actum rei convertere, ut non fictis sed veris affectionibus inesse videatur*'. *Iuba* '*ideo in secundo et quarto et sexto loco iambus non recipit nisi a brevi incipientes, quia in his locis feriuntur per coniugationem pedestrem metrorum; et vult extrema pars pedum iambicorum celerior esse, quomodo et ipsi iambi. accipere autem solet caesuras duas, quas et heroicum, id*

*) Quae Marius Victorinus Iuba auctore de metro antispastico tradit ita consentiunt cum iis quae de eodem metro Hephaestio p. 55 sqq. scribit, ut Graecum et Latinum grammaticum ex communi fonte suam doctrinam hausisse adpareat. constat autem utrumque Heliodori libro usum esse. atque ex hoc fonte plura etiam videntur repetenda esse, de quibus Hephaestio et Victorinus consentiunt. nam Victorinum certe saepe Iubae doctrinam sequi, etiamsi nomen auctoris non adscripsit, constat.

est semiquinariam et semiseptenariam. erit autem probabilis iambicus versus et tragoediis aptus, si secundum et quartum pedem non alios feceris quam iambos aut eum qui appellatur tribrachus aut anapaestus, quoniam sunt pares; κακόμετρος autem, si aliter. nam primus et tertius et quintus admittunt hanc permutationum pedis licentiam. causa obscura multis est, sed aperiatur a nobis. nam quoniam ter feritur hic versus, necesse est, ubicumque ab ictu percussionis vacat, moram temporis adiecti non reformidet. in primo autem pede et tertio incipit et in quinto, feritur in secundo et quarto et sexto'. attende Iubam quoque scire inveniri quosdam iambos, in quibus secundus et quartus absque observatione ponitur, quos κακομέτρους vocat. idem in octavo 'qui ergo confuderunt et multiformiter coniugaverunt hoc genus versuum, omnibus in locis indifferenter trochaeos aut pro spondeis aut pro dactylis posuerunt, et est haec quoque vitiosa confusio, ut

si qua flagella iugabis, ante putare decet,
ne resoluta et vidua ulmis et ornis
agri discidium dare Nysia rura queant'

Asmonium, quem primo loco posuit Priscianus, artem ad Constantium imperatorem scripsisse scimus eodem auctore p. 890, neque quisquam praeterea eius mentionem fecit. de nomine dubitans Leutschius de arte metrica p. 21 eundem esse coniecit hunc atque Memnonium a Martyrio apud Cassiodorum de orthogr. p. 2299 memoratum, de quo non magis constat. ea autem quae de Iuba dicta sunt ita olim legebantur, ut haec quoque ad Asmonium, qui illius auctoritatem secutus esset, referrentur, *Iuba ideo in secundo et quarto et sexto loco iambos non recipit nisi a brevi incipientes.* et sane in libris manu scriptis est *iambos*, non *iambus*. sed quid sibi velint iambi a brevi incipientes vel qui sint iambi qui a brevi syllaba non incipiant intellegi nequit, nisi quis iambos dictos esse putat pedes loco iambi positos, qui tamen nec dicti a quoquam sunt iambi nec dici potuerunt. ne illud quidem satis recte dicitur, grammaticum pedes in loco aliquo versus recipere. itaque *iambus* scripsi nominativo casu, ut versus iambicus trimeter secundo et quarto et sexto loco non recipere nisi pedes a brevi syllaba incipientes dicatur. Iubae

autem nomen ipse Priscianus addidit, ut haec omnia quae Asmonii verbis subiecit, *ideo — feritur in secundo et quarto et sexto*, Iubae esse indicaret. et re vera haec ita ut dixi scripta esse a grammatico manifesto indicant ea quae ipse addidit, *attende — vocat.* nam non solum aperte Iubae verba respicit, cum iambos dicit trimetros iambicos, sed etiam huius sententiam exponens, non Asmonii, ex cuius libro pauca descripserat, eaque ita conparata ut explicatione non egerent, huic se omnia quae ante scripsit tribuere significat. his ita constitutis facile adparet ne ea quidem quae proxime secuntur ad alium auctorem nisi ad Iubam referri posse, quamquam fuerunt qui haec in aliam sententiam deflectere studerent. Ritschelius enim l. c., ne ad Iubam referrentur, ita verba interpretatus est, ut in octavo loco iambici versus non numquam idem quod in secundum et quartum et sextum caderet fieri diceretur, reliqua autem quae secuntur ipsi Prisciano tribuerentur. sed neque *idem in octavo* omisso verbo sic dicitur neque omnino hoc praesertim loco, cum Priscianus veterum metricorum testimonia conponat, intellegi potest nisi de octavo libro scriptoris cuius verba subiecit. non magis placet Bergkii ratio, qui Asmonii librum, non Iubae, dici voluit l. c. p. 379. quod quamquam sic defendi quodam modo possit, ut Priscianum ea quae anteposito Iubae nomine supra scripserat non ex huius libro petivisse, sed in his quoque Asmonium, qui illius auctoritate usus esset, secutum esse dicamus, tamen, cum postea in unius Iubae sententia explicanda versetur, parum probabile est iterum ad Asmonium orationem redire. omnino autem verbis sic ut supra scripta sunt emendatis nulla causa est, cur Priscianus Iubae libros legisse non credatur; sed potius et superiora de iambico metro et haec de confusione metrorum ex ipsis Iubae commentariis descripsisse putandus est. numerus tamen octo librorum offendere possit in eo opere quod totum in metris exponendis versabatur, praesertim cum Iubam in quarto libro de iambico disputavisse sciamus auctore Rufino p. 2711. qua re motus Wentzelius l. c. p. 24, ut haec ad eundem librum revocarentur, hoc quoque loco *in quarto* scribendum esse coniecit. sed id ipsum, quod numerus libri additus est, cum omissus sit in superioribus, quae ad quartum librum haud dubie pertinent, indicat

haec ex alio libro atque illa petita esse. itaque si minor numerus requiritur, rectius pro *in VIII* restituemus *in V libro.*

In his igitur quae Iubae vindicavimus aetatis indicium continent tres versus quos pro exemplo vitiosae metrorum confusionis grammaticus posuit. finxit enim illos, id quod saepe factum est in hoc genere, ex versibus Septimii Sereni, quos in metro Falisco posuit Terentianus Maurus v. 2001 et ex Terentiani carmine Marius Victorinus p. 2578, *Quando flagella iugas, ita iuga, Vitis et ulmus uti simul eant: Nam nisi sint paribus fruticibus, Vmbra necat teneras Amineas.* qua re, si quidem Sereni aetas recte ad tertium post Christum natum saeculum refertur, sequitur Iubam, cuius libros circa annum tricesimum quinquagesimum Marius Victorinus tractavit, vel extremo saeculo tertio vel quarto ineunte vixisse. ceterum versus Iubae in libris Prisciani corrupti sunt, ita fere ut supra exhibui, nisi quod in primo et secundo habent *iuuabis ante putare decernere soluta* (*resoluta* Parisinus), in tertio *nya* pro *Nysia.* neque certo constat quem ad modum ab auctore scripti sint, propterea quod nescimus in quo metro eos posuerit. sed cum trochaeos aut pro spondeis aut pro dactylis positos esse dicat, eoque testimonio ita utatur Priscianus, ut Latinos comicos in trochaicis suis simili confusione usos dactylos vel spondeos pro trochaeis posuisse contendat, sequitur, si modo Priscianus bene intellexit quae ille scripserat, Iubam dactylicos versus, quibus vitiose inmixti essent trochaei, posuisse. qua coniectura probata hexametri versus semel in singulis versibus trochaeo posito sic restitui poterunt, *Si qua flagella iugabis, ante putare decet, ne Ire soluta velint viduis ulmis et ornis, Et grave discidium queant dare Nysia rura.*

Eodem fere tempore quo Priscianus vel non multo ante Iubae libros usurpavit Rufinus, qui inter testimonia veterum grammaticorum, qui versus esse in fabulis Plauti et Terentii dixerunt, haec ex Iubae libro quarto descripsit p. 2711 sq., *Iuba in libro quarto sic dicit, iambicorum itaque exempla quae maxime frequentata sunt subdidi,*

πάτερ Λυκάμβα, ποῖον ἐφράσω τόδε;
Δαναὸς ὁ πεντήκοντα θυγατέρων πατήρ,
ξανθῇ παλαιῇ γρηὶ πολλῇσιν φίλῃ,

οἰδ' ὑπὸ γὰρ ἡμῶν παρετάθη καὶ Περικλέους,
ἱμάτιον ἐφόρει μαλακὸν ἐρίων Σικελικῶν,
τὸ δὲ προσκεφάλαιον, φησίν, ἅμα σοι βούλομαι,
videre non vult Caelium Panaetius,
misera marino quae timidula in litore,
vallis per imas amne labens caerulo,
armiger in Ida pede vago litora petens,
caerula non aliter superans liquida malaciae,
* * * * *
παρὰ σοφοῦ μάθε κλύων ὅσα τις ἂν καταμάθοι,
rape faces, cape, puer; sopor abit, cane melos'.

in alio loco 'sic, 'iambicum metrum non ex solis iambis conscribitur, sed quinque suscipit pedes, id est iambum tribrachyn anapaestum dactylum et spondeum, hoc est iambum et spondeum et solutiones eorum, scilicet ex iambi solutione tribrachyn (nam si sequentem longam syllabam in duas breves dividas, fiet de iambo tribrachys), spondei autem solutiones duas, dactylum et anapaestum. nam si prior syllaba spondei solvatur in duas breves, fiat anapaestus; si vero secunda, dactylus fiat. unde intellegi datur iambica metra de iambo et spondeo fieri et de eorum solutionibus'. de choliambo sic, 'est autem proceritatis eiusdem versus qui unius pedis differentia nomen amittit. nam quod sexto loco, qui locus par est, non iambus sed spondeus vel trochaeus accipitur et a longa syllaba incipit, claudum carmen facit et choliambus nominatur, ut est

ὦ Κλαζομένιοι, Βούπαλος κατέκτεινεν,
ἀκούσαθ' Ἱππώνακτος· οὐ γὰρ ἀλλ' ἥκω,
o quae tenerulae conparis tenes crinem,
sudes in ista Veïa latent fossa.

quod autem binis pedibus et non singulis scanditur, vetus institutum est. quippe Herodotus, antiquus historiae auctor, cum de heroo diceret versu, quem singulis partiri pedibus moris est, ita dixit (I 55 conl. I 47), *καί σφιν ἡ Πυθίη ἀφικομένοισιν χρῇ ἐν ἑξαμέτρῳ τόνῳ τάδε,*

ἀλλ' ὅταν ἡμίονος βασιλεὺς Μήδοισι γένοιτο (l. γένηται),
καί ποτε (l. τότε), Λυδὲ ποδαβρέ, πολυψήφιδα παρ' Ἕρμον
φεύγειν μηδὲ μένειν, μηδ' αἰδεῖσθαι κακὸς εἶναι.

unde adparet heroum singulis pedibus scandi etiam apud veteres solitum, iambum autem binis. id enim ait, cum de Archilocho Pario referret, qui Gygae fabulam optime conplexus est ita (I 12), *Γύγης, τοῦ καὶ Ἀρχίλοχος ὁ Πάριος κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον γεγονὼς ἐπεμνήσθη ἰάμβῳ τριμέτρῳ. meminit autem versus eius Herodotus, quem applicui,*

οὔ μοι τὰ Γύγεω τοῦ πολυχρύσου μέλει.

et hactenus de acatalecto trimetro dictum. de octametro Boiscio idem sic dicit, 'octametrum catalecticum quod appellatur Boiscion,

Βοΐσκος ὁ ἀπὸ Κυζίκου παντὸς γραφεὺς ποιήματος τὸν ὀκτάπουν εὑρὼν στίχον Φοίβῳ τίθησι δῶρον

Boiscus is de Cyzico novi repertor carminis. nam primus octonum pedum versum deo dicaverat.

Ita haec emendavi auctoritate quattuor codicum, Vossiani 33. 4, Parisinorum 7496 et 7501, Reginensis 733. in versu Latino qui secundo loco positus est *timida* (*timido* Regin.) *in littore* codices praebent, *timidula littore* coniecit ten Brink. post quintum versum lacunam indicavi, qua versus iambicus ab anapaesto incipiens, qui sexto versui Graeco respondebat, periit. praeter eum autem plura hic olim scripta erant, quibus transitus paratus erat ad creticos versus qui subiecti sunt. in ultimo versu *melos* ex editis exemplaribus retinui, libri habent *melis*. quae priore loco ex Herodoti libro primo citata sunt restitui e codice Vossiano et Reginensi. nam in reliquis libris pauca verba leguntur eaque ita corrupta, ut intellegi olim non potuerit quo haec pertinerent. quo factum est ut Ritschelius de biblioth. Alex. p. 139 hic quoque Herodoti nomini substituendum putaret Heliodorum. in versu Boiscio Latino *octonum pedum* ex editis exemplaribus retinui. nam in codicibus haec ita scripta sunt, *octano* (corr. *octono* Voss.) *pede versum* Reg. Voss. Paris. 7496, *versum octono pede* Paris. 7501. fortasse grammaticus, qui Graeci auctoris verba accurate expressit, *octonopedem versum* dicere ausus est quem ille *ὀκτάπουν στίχον* dixerat. reliqua quae de emendatione verborum dicenda sunt nunc omitto. quo tempore autem haec scripta sint quamquam certis argumentis non indicatum est, tamen ad eum scriptorem qui Augusti aetatem attigerit referri posse nego. nam primum in dicendi genere quo hic

grammaticus utitur non nulla inveniuntur, quae ut aliena sunt a prisca consuetudine, ita pervulgata a posterioribus scriptoribus. ex quo genere est coniunctivus praesentis vel indicativus futuri in condicionalibus enuntiatis quae dicuntur positus et *intellegi datur* pro *intellegitur* dictum. deinde versus Latini, quos Iuba cum Graecis exemplis ab Heliodoro, ut videtur, receptis conposuit, artificia quaedam numerorum verborumque prae se ferunt, qualia Sereno eiusque aequalibus placuisse scimus, ab antiquorum vero poetarum arte prorsus aliena sunt. itaque his quoque ad eandem aetatem revocamur, quam supra iisdem vestigiis ducti huic grammatico constituimus.

Haec habui de quattuor grammaticis a Prisciano usurpatis quae dicerem. restat, sicut propositum est, ut quae memorabilia esse videantur in codicis Erlangensis scriptura, exceptis iis quae supra exhibita sunt, paucis indicentur. quae ita ad meam editionem accommodavi, ut *E* littera priorem manum, *e* autem ea quae a correctore profecta sunt significarem.

p. 405, 2 ac omni *E* 18 alacriores redatis *E* alacriorem ut redatis *e*: alacriorem *ipse conieceram* quarum *E* quorum *e* *p.* 408, 2 dicitur — semistertius *om. E, add. e:* quasi *autem post* dicitur, *quod mea coniectura addideram, addidit etiam corrector* 20 uncia duodecim libra *E* libra italica unciae duodecim *e* 21 septuagintae quinque *E* septuaginta II *e* 23 et unciae septem semis untiae *E* et unciae IIII libra uel as un. XII deunx un. XI decunx un. X dodrans un. VIIII bessis un. VIII. septunx un. septem semis untiae *e* 26 sextans untiae duae untiae sexcunx uel ut alii sexcuntiae duae partes untiae *E* sextans untiae duo. sexcunx uel ut alii sexcuntia tres dimidiae partes untiae *e* *p.* 410, 4 denarius LXXII *E* denarii LXXU *e* 13 ab numero *E* ab uno *e* *p.* 414, 22 sescupla *E* tripla *e* *p.* 416, 8 enim *om E, add. e*

Scripsi Erlangae Kalendis Februariis a. MDCCCLX.

His academico more praemissis Vos, PRORECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, PROCANCELLARIE PERILLVSTRIS, SENATORES PROFESSORES DOCTORES OMNIVM ORDINVM SVMME REVERENDI CONSVLTISTIMI EXPERIENTISSIMI AMPLISSIMI, MAGISTRATVS HVIVS VRBIS SPECTATISSIMI, COMMILITONES ORNATISSIMI, QVICVMQVE REBVS NOSTRIS ET LITTERARVM STVDIIS BENE VVLTIS, ad orationem, quam pro loco in Senatu academico rite obtinendo publice habebimus, prompto lubentique animo audiendam omni qua par est observantia invitamus.

UNIV. OF CALIFORNIA

UNIV. OF
CALIFORNIA

YC 00360

297977

Keil

UNIVERSITY OF CALIFORNIA LIBRARY